An. et vol. CIV 3 Augusti 2012 N. 8

# ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

TYPIS VATICANIS — MMXII

# Index huius fasciculi

(An. CIV, N. 8 – 3 Augusti 2012)
Mensile – Tariffa R.O.C. – Poste Italiane S.p.A. – Spedizione Abbonamento Postale D.L. 353/2003
(Conv. in L. 27/02/2004) art. 1 comma 1 – DCB Roma

## ACTA BENEDICTI PP. XVI

PAG.

LITTERAE DECRETALES

I. Quibus Beato Damiano Iosepho De Veuster, Sanctorum honores decernuntur . . 623

II. Quibus Beatae Bonifatiae Rodríguez de Castro, Sanctorum honores decernuntur . 626

CONSTITUTIO APOSTOLICA

In Camarunia nova dioecesis constituitur Bafangensis appellanda . . . . . . . . . 629

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

« Pulchritudinis fidei » . . . . . . . . . . 631

LITTERAE APOSTOLICAE

Venerabili Dei Servae Annae Mariae Adorni caelitum Beatorum tribuitur dignitas . . 633

HOMILIA

Habita in area Petriana Tusculi . . . . . . 636

## ACTA CONGREGATIONUM

### Congregatio de Causis Sanctorum

Matriten.: Decretum super martyrio Servorum Dei Francisci Esteban Lacal et XXI Sociorum . . . . . . . . . . . . 640

PAG.

Nyerien. seu Taurinen.: Decretum super virtutibus Servae Dei Irenae Stefani (in saec.: Aureliae Iacobae Mariae a Mercede) . . 645

Adrien.: Decretum super virtutibus Servae Dei Mariae Dolorosae (in saec.: Liberae Italiae Mariae Inglese) . . . . . . . . . . 648

Senogallien.: Decretum super virtutibus Servae Dei Mariae Iosephinae Benvenuti (in saec.: Zeinab Alif) . . . . . . . . . 652

Katovicen.: Decretum super virtutibus Servae Dei Laurae Meozzi . . . . . . . . . 655

Romana et Cuernavacen.: Decretum super miraculo Ven. Servae Dei Mariae Agnetis-Teresiae (in saec.: Emmanuelae a Iesu Arias Espinosa) . . . . . . . . . . . . 658

Campanien. seu Neapolitana: Decretum super miraculo Ven. Servi Dei Mariani Arciero . 660

Tranen.-Barolen.-Vigilien.: Decretum super virtutibus Servi Dei Raphaelis Dimiccoli . 663

### Congregatio pro Episcopis

Provisio Ecclesiarum . . . . . . . . . . . 667

## DIARIUM ROMANAE CURIAE

Segreteria di Stato: *Nomine* . . . . . . . . 669

Onorificenze . . . . . . . . . . . . . . 670

Necrologio . . . . . . . . . . . . . . . 686

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

*Administratio:* Libreria Editrice Vaticana – Città del Vaticano – tel. 06.698.83529

Singulis mensibus Commentarium prodit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videtur

Mensile – Tariffa R.O.C. – Poste Italiane S.p.A. – Spedizione Abbonamento Postale D.L. 353/2003
(Conv. in L. 27/02/2004) art. 1 comma 1 – DCB Roma

*Pretium subnotationis a. 2012:*
in Italia, Euro 60,00 (c.c.p. 00774000) – extra Italiam, Euro 85,00
*Pretium unius fasciculi:* Euro 10,00
Volumen completum post annum 1909: Euro 85,00
Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aëria, charta indica impressos

An. et vol. CIV 3 Augusti 2012 N. 8

# ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

*Directio:* Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

# ACTA BENEDICTI PP. XVI

## LITTERAE DECRETALES

I

**Quibus Beato Damiano Iosepho De Veuster, Sanctorum honores decernuntur.**

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam: qui autem perdiderit animam suam propter me, hic salvam faciet illam » (*Lc* 9, 24).

Pater Damianus de Veuster, presbyter Congregationis Sacrorum Cordium Iesu et Mariae necnon adorationis perpetuae Ss. Sacramenti altaris missioni suam vitam addixit, patriam relinquens petensque Oceaniae regiones. Pauperioribus ac desertioribus sese dicavit, scilicet leprosis, ita ut suam vitam amitteret veluti leprosus, Iesu Christi caritatis fragrantiam diffundens inter leprosarii Molokai dolores, Havaiana magna in Insula Pacifici Oceani.

Die III mensis Ianuarii anno MDCCCXL in Belgarum pago Tremelo, paenultimus ex octo fratribus ortus est, qui religionis catholicae pietate aduleverunt, ut duo fratres duaeque sorores demonstrant, qui vitam consecratam elegerunt. Iosephus De Veuster die II mensis Februarii anno MDCCCLIX vestimentum religiosum induit, cui nomen Damianum est impositum. Postquam sacerdotalem ordinationem die XXI mensis Maii anno MDCCCLXIV Honoluli recepit, quaedam insulae loca evangelizare coepit. Episcopo requirenti, ut leprosis operam daret, libenter una cum tribus sociis est assensus atque die X mensis

Maii anno MDCCCLXXIII operari incohavit. Illo tempore hic erat captivitatis solitudinisque locus, omnibus rebus destitutus et sine lege constitutus. Lepra enim, ad illorum temporum mentem, cum peccato malis moribus ac syphilide copulabatur, qui morbi cuidam culpae assignabantur. Atque ii pravis moribus adscribebantur ideoque aegri improbi habebantur. In loco illo, omnino humanitate carente, pater Damianus miseram illam humanitatem collustravit atque effecit ut Dei filiorum dignitas, quae semper in homine manet, recuperaretur. Actuosus fuit homo: curare plagas, mortuos sepelire, omnes iuvare coepit, neglegens cuiusque religionem, solummodo Domini verborum memor: eram « infirmus et visitastis me » (*Mt* 25, 36). Brevi tempore et ipse Molokai est detentus, discedere prohibitus, quod eius animum minime debilitavit, immo eum incitavit ad maiorem pro leprosis laborem. Domos, aquaeductus, duo valetudinaria et duo orphanotrophia aedificavit, quia inter humilioris ordinis homines humillimi inveniuntur: pupilli familiarum leprosorum. Christo cruci affixo sese aequavit atque leprosum se putavit, ita ut diceret: « Nos leprosi », qui hoc modo se totum cum Corpore Mystico coniungebat et exulcerato Ecclesiae Molokai praesente. Undecim post apostolatus annos detexit se esse ipsum lepra affectum. Quamvis aegrotus missionale sueta tranquillitate constantique studio opus produxit. Mense Februario anno MDCCCLXXXIX vires deficere coeperunt atque die XIII mensis Aprilis Oleum infirmorum et S. Viaticum recepit. Postremum eius postulatum fuit ut sineret medicus ut vetulam aegrotam curaret. Die XV mensis Aprilis anno MDCCCLXXXIX e vita cessit, die lunae Hebdomadae Sanctae, XLIX annos natus, postquam vota renovavit se vivere ac mori velle Sacris Cordibus inserviens. Lata sanctitatis eius fama effecit ut Mechliniensis Episcopus anno MCMXXXVIII Processum Informativum Ordinarium incoharet, qui ad finem anni MCMXLIX est perductus. Procesuum Ordinariorum, Apostolicorum validitas per Decretum Sacrae Congregationis Rituum die II mensis Maii anno MCMLIX agnita est. Exinde virtutes heroum in modum exercitae agnitae sunt atque Decretum die VII mensis Iulii anno MCMLXXVII est evulgatum. Iure statutis omnibus peractis rebus, Decessor Noster, Dei Servus Ioannes Paulus II, facultatem fecit ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum comprobationis super miro diei XIII mensis Iunii anno MCMXCII ederet atque die XIV mensis Iunii anno MCMXCV idem Summus Pontifex beatificationis ritum Venerabilis Dei Servi patris Damiani Iosephi De Veuster Bruxellis peregit. Pro canonizatione sanatio demonstrata est dominae Audrey Toguchi, quae anno MCMXCVII evenit, quaeque die XVIII mensis Octobris anno MMVII a Medicis Consultoribus natura est inexplicabilis habita

atque sive a Theologis die XXIX mensis Aprilis anno MMVIII in Congressu coadunatis sive a Patribus Cardinalibus et Episcopis in Sessione Ordinaria die XVII subsequentis mensis Iunii congregatis. Sic Nos Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum die III mensis Iulii anno MMVIII Decretum super miro foras emitteret. Ideo in Consistorio, die XXI mensis Februarii anno MMIX habito, decrevimus ut Beati Damiani De Veuster canonizatio die XI mensis Octobris anno MMIX celebraretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Sigismundum Felicem Feliński, Franciscum Coll y Guitart, Iosephum Damianum De Veuster, Raphaelem Arnáiz Barón et Mariam a Cruce Jugan Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die undecimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo nono, Pontificatus Nostri quinto.

EGO BENEDICTUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
*In Secret. Status tab., n. 156.149*

## II

**Quibus Beatae Bonifatiae Rodríguez de Castro, Sanctorum honores decernuntur.**

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Omnia omnibus simus oportet Iesum vestigia sequentes, qui, immemor suae condicionis et status divinitatis, parvus efficitur tamquam homines, quia venit eos ministrare et non ab ipsis ministrari ».

Cum Bonifatia Rodríguez de Castro his verbis alloquebatur Salmanticensem communitatem, inscia effigiem suiipsius ostendebat. Ad vitam eius constantis servitii referri possunt verba Domini: « Si quis mihi ministrat, me sequatur, et ubi sum ego, illic et minister meus erit » (*Io* 12, 26).

Salmanticae in Hispania nata est die VI mensis Iunii anno MDCCCXXXVII in sede humilis vestificinae. Adulescens, nempe quindecim annos nata, segmentorum officium didicit, ut lucrum faceret ad vitam sustentandam. Devotionem excolens Sancti Ioseph et Immaculatae Conceptionis, coetum sociarum instituit Associationis Iosephinae in propria officina, quae centrum effectum est ad iura operosae mulieris tuenda. Simul cum Francisco Xaverio Butinyà i Hospital, sodali S.I. oriundo ex Catalaunia, die X mensis Ianuarii anno MDCCCLXXIV condidit Congregationem Servarum Sancti Ioseph. Agebatur de singulari proposito vitae religiosae femininae, attinente ad ambitum operis intuitu mulieris operosae pauperis tempore quo industrialis revolutio Hispanica oriebatur. In eius officinis Nazarethanis Servae Sancti Ioseph mulieribus offerebant opus ad eas arcendas a periculis quibus earum dignitas committebatur propter opus extra parietes domesticos expletum. Animam exhalavit Zamorae in Hispania die VIII mensis Augusti anno MCMV omnium aestimata et uti sancta honorata. Beata Bonifatia Rodríguez de Castro testimonium perhibet de magnis praeceptis evangelicis: Domini mandatum largiter implet, ita ut amor fraternus identitatis sigillum exstet et amor in pauperes primatum teneat eius deditionis. Extraordinario evangelico praedita sensu, distinguere scivit tam Domini quam hominum vias, priores libere ac perspicue totam per vitam praeoptans absque ulla haesitatione, firmo certoque animo.

Deus est illi pater benignus et providens, cui illa vivit dedita, «fide fiduciaque plena». Haec fides et fiducia in Deum nutriuntur assidua oratione et eam inter adversa stabilem firmamque reddunt. Posthabet et obliviscitur contumelias, calumnias et iniustitias; vestigia Iesus ex propinquo sequitur et sinit ut silentium eius et remissio labia sua claudant et omnia fulgidum et heroicum exemplum humilitatis efficiantur. Nullo umquam tempore in questum se profudit, immo felicem se gerebat dum Iesu silentium imitabatur et caritatem ad suos remittendos carnifices. Mater et magistra facta est mulierum operibus deditarum, quas uti pupillam oculorum suorum habebat; et pro quibus totam vitam impendit, etenim ad praeventionem mulieris pauperis opere carentis tuendam, prout est munus authenticum Instituti, vexationes subiit et detractiones. Scivit perpeti omnino conscia omnia a Deo exspectare, «iugiter praedita aequo, quieto et affabili animo» et «nihil aliud curans nisi ut Deo in omnibus placeret».

Specifica contributio ad spiritualitatem Ecclesiae est sequela Iesu in vita Nazarethana, socians orationem cum opere in simplicitate vitae cotidianae. Sententia «orationem cum opere sociare» in eo est ut pro mundo operario saeculi XIX Deus in omnibus quaeratur et inveniatur, prout aiebat Sanctus Ignatius. Praecipuus conspectus eius missionis prospicit mulieri pauperi quae in periculi condicione operatur, ut inde obveniant spatia vitae et operis, ita ut vita Nazarethana instrumentum reddatur evangelizationis et promotionis, quibus propriam dignitatem experiri possit.

Processus Ordinarius Informativus Zamorae incohatus est anno MCMLIV et conclusus anno MCMLXII. Inquisitio Historica dioecesana instructa est anno MCMXCV et Decretum validitatis Processus et Inquisitionis vulgatum est die II mensis Februarii anno MCMXCVI. Servatis de iure servandis, coram decessore Nostro Ioanne Paulo II editum est Decretum super virtutibus die I mensis Iulii anno MM, et Decretum super miraculo die XX mensis Decembris anno MMII. Ipse Summus Pontifex ritum beatificationis celebravit in area Petrianae Basilicae die IX mensis Novembris anno MMIII. Ad canonizationem quod attinet, Consilium Medicum Congregationis de Causis Sanctorum die II mensis Iulii anno MMIX sanationem viri Kasongo Bavon iudicavit inexplicabilem iuxta scientiam; et Peculiaris Congressus Theologorum die XXX mensis Octobris eiusdem anni miram habuit eam et intercessioni Bonifatiae Rodríguez adscriptam; eandem sententiam protulerunt Patres Cardinales et Episcopi congregati in Sessione Ordinaria die XVI mensis Martii anno MMX. Nosmet Ipsi praescripsimus ut Decretum super miraculo die XXVII mensis Martii anno

MMX ederetur; et in Consistorio habito die XXI mensis Februarii anno MMXI decrevimus procedendum ad canonizationem Beatae Bonifatiae Rodríguez de Castro, cuius sollemnem ritum hodierno die XXIII mensis Octobris anno MMXI celebramus in area Basilicae Sancti Petri in Vaticano.

Hodie igitur in area Petriana, inter missarum sollemnia hanc protulimus formulam:


Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Guidonem Mariam Conforti, Aloisium Guanella et Bonifatiam Rodríguez De Castro Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem decrevimus, et nunc et in posterum tempus vim sortiri volumus, contrariis rebus minime officientibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die vicesimo tertio mensis Octobris, anno Domini bis millesimo undecimo, Pontificatus Nostri septimo.

EGO BENEDICTUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*




Loco ✠ Plumbi
*In Secret. Status tab., n. 197.348*

# CONSTITUTIO APOSTOLICA

## BAFANGENSIS

**In Camarunia nova dioecesis constituitur Bafangensis appellanda.**

BENEDICTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quandoquidem id maiori christifidelium spirituali bono eorundemque utilitati facilius assequendis prodest, Apostolica Sedes summa cura utitur ut novae dioeceses erigantur. Iamvero cum dioecesis Nkongsambensis amplissimo extendatur territorio, peropportune Nobis videtur nova circumscriptio ecclesiastica ex ea extrahenda esse, territorium provinciarum civilium *Nkam* et *Haut Nkam* seiungendo. Nos vero, praehabito favorabili voto Venerabilis Fratris Petri Pioppo, Archiepiscopi titulo Torcellani et Nuntii Apostolici in Camarunia, ac de Congregationis pro Gentium Evangelizatione consilio reique opportunitate mature perpensa, de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine a dioecesi Nkongsambensi distrahimus territorium provinciarum *Nkam* et *Haut Nkam*, ex quo novam erigimus et constituimus dioecesim quae Bafangensis nuncupabitur. Huius novae dioecesis sedem in urbe *Bafang* statuimus, templumque ibi exstans, Deo in honorem Immaculati Cordis Mariae dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae Cathedralis evehimus, cunctis additis iuribus et privilegiis quae ad id genus sacras aedes attinent. Eandem suffraganeam facimus Metropolitanae Ecclesiae Dualaënsi atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione obnoxiam. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae statuimus perficienda committimus Venerabili Fratri Petro Pioppo quem diximus vel, eo absente, illi qui negotia curat Apostolicae Nuntiaturae in Camarunia, eidem necessarias tribuentes et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito Congregationi pro Gentium Evangelizatione

authenticum exemplar actus peractae exsecutionis, cum primum fas erit, mittendi.

Hanc denique constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo sexto mensis Maii, anno Domini bis millesimo duodecimo, Pontificatus Nostri octavo.

✠ Tharsicius card. Bertone
*Secretarius Status*

Franciscus Di Felice, *Protonot. Apost.*
Nicolaus E.-M. D. Thevenin, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
*In Secret. Status tab., n. 200.725*

# LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

**Quibus Pontificia Commissio de Bonis Culturalibus Ecclesiae coniungitur cum Pontificio Consilio de Cultura.**

BENEDICTUS PP. XVI

1. Pulchritudinis fidei Ecclesia testis atque veritatis Evangelii custos, de mundo culturae et artium magnam suam iugiter exhibuit sollicitudinem. Peculiari hoc in ambitu suam exercet missionem culturis humanoque ingenio offerens fecundam Evangelii Christi lucem, dialogum instituens mutuamque interactionem.

Etenim notum est « Ecclesiae historiam esse quoque inseparabiliter culturae et artium historiam », uti etiam patet « hodie maxime mutuam apertionem inter culturas fecundum esse campum ad dialogum suscipiendum inter homines qui genuinum quaerunt humanismum, praeter dissensiones quibus iidem seiunguntur ».[1]

2. Adhortationes secutus ex Concilio Vaticano II profluentes et temporum necessitatibus prospiciens, Venerandus Decessor Noster beatus Ioannes Paulus II Dicasteria Curiae Romanae saepius reformavit destinata ad dialogum cum mundo culturae et ad tutelam patrimonii artium a fide christiana provenientium.

Praesertim per Litteras Apostolicas Motu Proprio datas die XXV mensis Martii anno MCMXCIII, quibus titulus est *Inde a Pontificatus*, Ipse Pontificium Consilium pro Dialogo cum non credentibus coniungere voluit cum Pontificio Consilio de Cultura, quod die XX mensis Maii anno MCMLXXXII constituerat. Post hanc provisionem Pontificium Consilium de Cultura ampliorem suscepit visionem, curam habens sive de dialogo cum culturalibus eventibus nostrae aetatis, sive de relationibus cum mundo non credentium.

Eodem Documento Motu Proprio dato Summus Pontifex, reformans anteriorem Pontificiam Commissionem pro Conservatione Patrimonii Artistici et Historici Ecclesiae, constituit Pontificiam Commissionem de Bonis Culturalibus Ecclesiae, disponens ut ea in opere navando cum Pontificio Consilio de Cultura strictam haberet coniunctionem.

[1] Allocutio ad Pontificium Consilium de Cultura, 15 Iunii 2007.

3. Huiusmodi necessitas coordinationis passim progressa est, cum hi duo actionis ambitus, etiam in coetibus internationalibus, appareant arctius in dies coniuncti, unde patet, etiam pro Sancta Sede, evidens opportunitas cuiusdam institutionalis et operativae mutationis horum Dicasteriorum.

4. Memoratarum sub lumine rerum, simul ac derogantes dispositiones Litterarum Apostolicarum Motu Proprio datarum *Inde a Pontificatus*, Pontificiam Commissionem de Bonis Culturalibus Ecclesiae cum Pontificio Consilio de Cultura coniungere decrevimus.

5. Fines et facultates, in artt. 99-103 Constitutionis Apostolicae *Pastor bonus* et in Litteris Apostolicis Motu Proprio datis *Inde a Pontificatus* hucusque tributae Pontificiae Commissioni de Bonis Culturalibus Ecclesiae ac simulque eiusdem navitas transferuntur ad Pontificium Consilium de Cultura.

Quae autem Nos hisce Litteris Apostolicis Motu Proprio editis inspeximus, praecipimus ut omnibus in partibus serventur, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus, etiamsi peculiari mentione dignis, et statuimus ut publici iuris fiant in commentario officiali *Acta Apostolicae Sedis*.

Datum ex Arce Gandulfi, die XXX mensis Iulii anno Domini bismillesimo duodecimo, Pontificatus Nostri octavo.

BENEDICTUS PP. XVI

Loco ✠ Plumbi
*In Secret. Status tab., n. 198.648*

# LITTERAE APOSTOLICAE

**Venerabili Dei Servae Annae Mariae Adorni caelitum Beatorum tribuitur dignitas.**

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Mulierem fortem quis inveniet? Longe super gemmas pretium eius » (*Prv* 31, 10).

Venerabilis Dei Serva Anna Maria Adorni fortis fuit mulier, quae inter despectos miserosque Dei amorem significans, ut religiosa in carcere detentis, deperditis feminis pupillisque suam dicavit vitam, permagna fide ac spe superans praeiudicium.

Unica Michaelis Adorni et Antoniolae Zannetti filia, Anna Maria Carolina in oppidulo *Fivizzano* apud Massam Apuanam die XIX mensis Iunii anno MDCCCV orta est. Anno MDCCCXX mortuo patre, veluti institutrix opus facere debuit. Matris obsequens voluntati, nuptias iniit atque sex liberos genuit, quorum quinque mox interierunt, Leopoldus solummodo vixit, qui deinde Ordinem Sancti Benedicti est ingressus. Cum virum amisisset anno MDCCCXLIV, primigenium suum propositum persequi statuit atque Domino suam reliquam vitam dicavit. Spiritus moderatore suadente, apud captivarum carcerem Parmensem suum incohavit apostolatum, fidei pietatisque christianae principia docens. Deinceps una cum quibusdam piis mulieribus, ut feminis, quae iam poenam pependerunt, facultas daretur societatem iterum ingrediendi, primum cubiculum conduxit eas hospitio receptura, cum stabile honestumque opus exspectarent, deinde Domum Restitutionis condidit, quae postea « Institutum Boni Pastoris » est appellata, ad similitudinem fundationis sanctae Euphrasiae Pellettier Iuliomagensis.

Orta est ideo parva familia religiosarum, quae feminis olim captivis atque deperditis consulerent. Mater Adorni eam tutelae Virginis Mariae commisit. Pars mox addita est pupillarum necnon puellarum a familiis neglectarum, quae urbem peragrabant atque vitiis facile imbuebantur, quibus Venerabilis Dei Serva magna caritate spiritalique ac materna sollicitudine mederi studebat. De Ordinarii licentia anno MDCCCLIX primae filiae in eiusdem manibus vota privata nuncuparunt atque die XXV mensis Martii anno MDCCCLXXVI Episcopus Parmensis Dominicus Villa Institutum Boni Pastoris in Congregationem religiosam sub titulo « Piae Domus Pauperum Mariae

Immaculatae» convertit, et regulae die XXVIII mensis Ianuarii anno MDCCCXCIII ab eiusdem Successore, Andrea Miotti, sunt confirmatae. Dei Serva usque caritatis operibus iuvenili animo studens, magnae fidei, prudens, humilis et aequabilis vere fuit mulier. Hilaris cum esset indolis, magnanima quidem, ad bonum procliva, operam dedit ultimis spretisque iuvandis, ut feminis carcere detentis. Ad apostolatum agendum ex Eucharistiae amore, ad quam adorans saepenumero sistebat, necnon ex precatione vim hauriebat. Spei virtutem strenue tenuit non modo ipsa, verum etiam quod ad innumeras spe destitutas feminas, quas sua in urbana missione conveniebat. Die VII mensis Februarii anno MDCCCXCIII obiit et per tres dies exuvias visit Parmensis populus, magnam sic testans sanctitatem.

Anno MCMXL Processus Ordinarius incohatus est atque anno MCMLIII Processus Apostolicus. Theologi Consultores, in Peculiari Congressione die XXVIII mensis Iunii anno MCMLXXVII coadunati, heroicas iudicarunt eius virtutes et idem Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die XIII mensis Decembris anno MCMLXXVII putarunt. Die XV mensis Decembris anno MCMLXXVII Decessor Noster Venerabilis Dei Servus Paulus VI edidit huius rei Decretum. Perfectis iure statutis rebus, sanatio quaedam vestigata est, quam Medici Consultores die XXVII mensis Novembris anno MMVIII ad scientiam inexplicabilem iudicaverunt. Theologi Consultores in Congressione peculiari die VII mensis Martii anno MMIX hanc sanationem Venerabilis Dei Servae Sororis Annae Mariae Adorni intercessioni tribuerunt et similiter iudicarunt Patres Cardinales et Episcopi in Congressione Ordinaria die XIX mensis Ianuarii anno MMX coadunati. Rebus tunc sedule perpensis, Nos igitur facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de miraculo die XXVII mensis Martii eiusdem anni evulgaret. Statuimus ideo ut beatificationis ritus Parmae die III mensis Octobris anno MMX celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Dei Servam Annam Mariam Adorni adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Henrici Solmi, Episcopi Parmensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Anna Maria

Adorni, vidua, fundatrix Congregationis Ancillarum Beatae Mariae Immaculatae et Instituti Parmensis a Bono Pastore, quae vitam suam caritati impendit se humilioris ordinis hominibus vovens, Beatae nomine in posterum appelletur, eiusque festum die septima Februarii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Octobris, anno MMX, Pontificatus Nostri sexto.

*De mandato Summi Pontificis*
THARSICIUS card. BERTONE
*Secretarius Status*

Loco ✠ Plumbi
*In Secret. Status tab., n. 146.930*

# HOMILIA

## Habita in area Petriana Tusculi.*

*Cari fratelli e sorelle!*

Sono molto lieto di essere oggi in mezzo a voi per celebrare questa Eucaristia e per condividere gioie e speranze, fatiche e impegni, ideali e aspirazioni di questa Comunità diocesana. Saluto il Signor Cardinale Tarcisio Bertone, mio Segretario di Stato e titolare di questa Diocesi. Saluto il vostro Pastore, Mons. Raffaello Martinelli, e il Sindaco di Frascati, ringraziandoli per le cortesi parole di benvenuto con cui mi hanno accolto a nome di tutti voi. Sono lieto di salutare il Signor Ministro, i Presidenti della Regione e della Provincia, il Sindaco di Roma, gli altri Sindaci presenti e tutte le distinte Autorità.

E sono molto felice di celebrare oggi con il vostro vescovo questa Messa. Come egli ha detto è stato per più di venti anni per me un fedelissimo e molto capace collaboratore nella Congregazione per la Dottrina della Fede, dove ha lavorato soprattutto nel settore del catechismo e della catechesi con grande silenzio e discrezione: ha contribuito al Catechismo della Chiesa cattolica e al Compendio del Catechismo. In questa grande sinfonia della fede anche la sua voce è molto presente.

Nel Vangelo di questa domenica, Gesù prende l'iniziativa di inviare i dodici Apostoli in missione.[1] In effetti il termine «apostoli» significa proprio «inviati, mandati». La loro vocazione si realizzerà pienamente dopo la risurrezione di Cristo, con il dono dello Spirito Santo a Pentecoste. Tuttavia, è molto importante che fin dall'inizio Gesù vuole coinvolgere i Dodici nella sua azione: è una specie di «tirocinio» in vista della grande responsabilità che li attende. Il fatto che Gesù chiami alcuni discepoli a collaborare direttamente alla sua missione, manifesta un aspetto del suo amore: cioè Egli non disdegna l'aiuto che altri uomini possono recare alla sua opera; conosce i loro limiti, le loro debolezze, ma non li disprezza, anzi, conferisce loro la dignità di essere suoi inviati. Gesù li manda a due a due e dà loro istruzioni, che l'Evangelista riassume in poche frasi. La prima riguarda lo spirito di distacco: gli apostoli

* Die 15 Iulii 2012.

[1] Cfr *Mc* 6, 7-13.

non devono essere attaccati al denaro e alla comodità. Gesù poi avverte i discepoli che non riceveranno sempre un'accoglienza favorevole: talvolta saranno respinti; anzi, potranno essere anche perseguitati. Ma questo non li deve impressionare: essi devono parlare a nome di Gesù e predicare il Regno di Dio, senza essere preoccupati di avere successo. Il successo lo lasciano a Dio.

La prima Lettura proclamata ci presenta la stessa prospettiva, mostrandoci che gli inviati di Dio spesso non vengono accolti bene. Questo è il caso del profeta Amos, mandato da Dio a profetizzare nel santuario di Betel, un santuario del regno d'Israele.[2] Amos predica con grande energia contro le ingiustizie, denunciando soprattutto i soprusi del re e dei notabili, soprusi che offendono il Signore e rendono vani gli atti di culto. Perciò Amasia, sacerdote di Betel, ordina ad Amos di andarsene. Egli risponde che non è stato lui a scegliere questa missione, ma il Signore ha fatto di lui un profeta e lo ha inviato proprio là, nel regno d'Israele. Pertanto, sia che venga accettato sia che venga respinto, egli continuerà a profetizzare, predicando ciò che Dio dice e non ciò che gli uomini vogliono sentirsi dire. E questo rimane il mandato della Chiesa: non predica ciò che vogliono sentirsi dire i potenti. Il loro criterio è la verità e la giustizia anche se sta contro gli applausi e contro il potere umano.

Similmente, nel Vangelo, Gesù avverte i Dodici che potrà accadere che in qualche località vengano rifiutati. In tal caso dovranno andarsene altrove, dopo aver compiuto davanti alla gente il gesto di scuotere la polvere sotto i piedi, segno che esprime il distacco in due sensi: distacco morale — come dire: l'annuncio vi è stato dato, siete voi a rifiutarlo — e distacco materiale — non abbiamo voluto e non vogliamo nulla per noi.[3] L'altra indicazione molto importante del brano evangelico è che i Dodici non possono accontentarsi di predicare la conversione: alla predicazione si deve accompagnare, secondo le istruzioni e l'esempio Gesù, la cura dei malati. Cura dei malati corporale e spirituale. Parla delle guarigioni concrete delle malattie, parla anche dello scacciare i demoni, cioè purificare la mente umana, pulire, pulire gli occhi dell'anima che sono oscurati dalle ideologie e perciò non possono vedere Dio, non possono vedere la verità e la giustizia. Questa duplice guarigione corporale e spirituale è sempre il mandato dei discepoli di Cristo. Quindi la missione apostolica deve sempre comprendere i due aspetti di predicazione della parola

[2] Cfr *Am* 7, 12-15.
[3] Cfr *Mc* 6, 11.

di Dio e di manifestazione della sua bontà con gesti di carità, di servizio e di dedizione.

Cari fratelli e sorelle, rendo grazie a Dio che mi ha mandato oggi a ri-annunciarvi questa Parola di salvezza! Una Parola che è alla base della vita e dell'azione della Chiesa, anche di questa Chiesa che è in Frascati. Il vostro Vescovo mi ha informato circa l'impegno pastorale che maggiormente gli sta a cuore, che è in sostanza un impegno formativo, rivolto prima di tutto ai formatori: formare i formatori. È proprio quello che ha fatto Gesù con i suoi discepoli: li ha istruiti, li ha preparati, li ha formati anche mediante il «tirocinio» missionario, perché fossero in grado di assumere la responsabilità apostolica nella Chiesa. Nella comunità cristiana, questo è sempre il primo servizio che i responsabili offrono: a partire dai genitori, che nella famiglia compiono la missione educativa verso i figli; pensiamo ai parroci, che sono responsabili della formazione nella comunità, a tutti i sacerdoti, nei diversi campi di lavoro: tutti vivono una prioritaria dimensione educativa; e i fedeli laici, oltre al ruolo già ricordato di genitori, sono coinvolti nel servizio formativo con i giovani o gli adulti, come responsabili nell'Azione Cattolica e in altri movimenti ecclesiali, o impegnati in ambienti civili e sociali, sempre con una forte attenzione alla formazione delle persone.

Il Signore chiama tutti, distribuendo diversi doni per diversi compiti nella Chiesa. Chiama al sacerdozio e alla vita consacrata, e chiama al matrimonio e all'impegno come laici nella Chiesa stessa e nella società. Importante è che la ricchezza dei doni trovi piena accoglienza, specialmente da parte dei giovani; che si senta la gioia di rispondere a Dio con tutto se stessi, donandola nella via del sacerdozio e della vita consacrata o nella via del matrimonio, due vie complementari che si illuminano a vicenda, si arricchiscono reciprocamente e insieme arricchiscono la comunità. La verginità per il Regno di Dio e il matrimonio sono entrambe vocazioni, chiamate di Dio a cui rispondere con e per tutta la vita. Dio chiama: occorre ascoltare, accogliere, rispondere. Come Maria: Eccomi, avvenga di me secondo la tua parola.[4]

Anche qui, nella comunità diocesana di Frascati, il Signore semina con larghezza i suoi doni, chiama a seguirlo e a prolungare nell'oggi la sua missione. Anche qui c'è bisogno di una nuova evangelizzazione, e per questo vi propongo di vivere intensamente l'Anno della Fede che inizierà ad ottobre, a 50 anni dall'apertura del Concilio Vaticano II. I Documenti del Concilio

[4] Cfr *Lc* 1, 38.

contengono una ricchezza enorme per la formazione delle nuove generazioni cristiane, per la formazione della nostra coscienza. Quindi leggetelo, leggete il Catechismo della Chiesa cattolica e così riscoprite la bellezza di essere cristiani, di essere Chiesa, di vivere il grande « noi » che Gesù ha formato intorno a sé, per evangelizzare il mondo: il « noi » della Chiesa, mai chiuso, ma sempre aperto e proteso all'annuncio del Vangelo.

Cari fratelli e sorelle di Frascati! Siate uniti tra voi e al tempo stesso aperti, missionari. Rimanete saldi nella fede, radicati in Cristo mediante la Parola e l'Eucaristia; siate gente che prega, per rimanere sempre legati a Cristo, come tralci alla vite, e al tempo stesso andate, portate il suo messaggio a tutti, specialmente ai piccoli, ai poveri, ai sofferenti. In ogni comunità vogliatevi bene tra voi, non siate divisi ma vivete da fratelli, perché il mondo creda che Gesù è vivo nella sua Chiesa e il Regno di Dio è vicino. I Patroni della Diocesi di Frascati sono due Apostoli: Filippo e Giacomo, due dei Dodici. Alla loro intercessione affido il cammino della vostra Comunità, perché si rinnovi nella fede e ne dia chiara testimonianza con le opere della carità. Amen.

# ACTA CONGREGATIONUM

## CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

### MATRITENSIS

**Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servorum Dei Francisci Esteban Lacal et XXI Sociorum, e Congregatione Missionariorum Oblatorum Beatae Mariae Virginis Immaculatae necnon Candidi Castán San José, Christifidelis Laici et Patrisfamilias († 1936)**

### DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Beati estis cum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me. Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis » (*Mt* 5, 11-12).

Haec evangelica sententia plane illustrat cruentam atque beatam sortem viginti trium martyrum Hispanorum qui atrocis persecutionis et occisionis victimae fuerunt propter eorum firmum ac mite fidelitatis erga Christum et Ecclesiam testimonium.

Commotio politica et socialis quae Hispaniam fortiter agitavit inde ab anno 1930 sub influxu ideologico anarchiae et marxismi, in acrem persecutionem Ecclesiae eiusque ministrorum irrepsit, opera praesertim factionum quae « militiae rubrae » nuncupabantur. Violentia ista plura millia cruentarum victimarum reliquit cuiusque condicionis ecclesialis. Interfecti sunt episcopi, presbyteri, viri et feminae religiosi, seminariorum alumni, et laici innumeri.

Furor antireligiosus et antiecclesialis cito increbuit etiam in oppido v. d. *Pozuelo de Alarcón*, prope urbem Matritum, faventibus organismis politicis et syndicalibus violentae indolis, qui contra communitatem Missionariorum Oblatorum Mariae Immaculatae desaevierunt, eam continuis obiurgationibus et minis vexantes.

Missionarii Oblati inibi, praeter munus religiosae formationis in scholasterio impletum, frequens ministerium pastorale inter fideles exercebant, ut capellani trium sororum communitatum, et ut collaboratores in paroeciis vicinis sive sacramenta ministrando, sive verbum Dei praedicando et catechesim impertiendo. Contextu persecutorio non obstante, Oblati eundem apostolatum prosecuti sunt tenaciter implentes activitates quas inierant propter animarum bonum.

Die 20 mensis Iulii anni 1936 militantes factiones in oppido *Pozuelo de Alarcón* templum invaserunt et effrontes flammis proiecerunt sacra ornamenta et imagines. Eadem scaena postea in paroeciali templo evenit.

Die vicesima secunda, quintadecima hora, turbulenta cohors scholasterium Oblatorum invasit, sclopetis aliisque armis munita, sub praetextu arma ibi abscondita quaerendi. Omnes religiosi tunc praesentes, triginta et octo, in eadem domo detenti et strictae custodiae subiecti manserunt. Accurata perquisitione peracta, invasorum factio iterum suam mentem patefecit in rogum tradendo sacras imagines, cruces, rosaria et liturgicas vestes.

Duobus post diebus, rerum status funestior evenit. Mane diei 24, septem ex oblatis detentis, absque ullo regulari processu, rapti et occisi sunt. Eis adiunctus fuit laicus paterfamilias. Subsequenti die ceteri Oblati, Matritum translati, liberi relicti sunt, sed ulterioribus perquisitionibus quindecim ex illis denuo capti sunt et in carcerem reducti. Quorum duo interfecti sunt die septima aut octava mensis Novembris; reliqui autem tredecim cruentum testimonium dederunt die 28 mensis Novembris.

Horum Servorum Dei, brevem biographicam notitiam offerimus.

Servus Dei *Franciscus Esteban Lacal* natus est in urbe *Soria* die 8 mensis Februarii anni 1888; professionem perpetuam emisit anno 1911, et anno 1912 sacerdotio auctus est. Munera implevit professoris, socii magistri novitiorum, superioris et viceprovincialis. Anno 1935 Matritum translatus, in domo communitatis hospitium praebuit Oblatis qui in *Pozuelo* detenti postea sunt liberati. Sed mox captus fuit et reclusus in carcere *Modelo*. Inde evectus in oppidum *Paracuellos del Jarama*, in viciniis urbis Matriti situm, ibique occisus fuit die 28 mensis Novembris.

Antea alii cruentam mortem invenerant. Die vicesima quarta mensis Julii iuxta praedium *Casa de Campo* prope Matritum, octo interfecti sunt:

Servus Dei *Ioannes Antonius Pérez Mayo,* natus die 15 mensis Novembris anno 1907 in oppido *Santa Marina del Rey* (*León*), professionem religiosam

emisit anno 1927, ordinem presbyteralem suscepit anno 1932. Fuit professor philosophiae in scholasterio.

Servus Dei *Emmanuel González Martín,* natus die 1 mensis Ianuarii anni 1913 in pago *Fresno del Rey* (*Palencia*), vota perpetua emisit die 15 mensis Decembris anno 1934.

Servus Dei *Caecilius Vega Domínguez,* natus in pago *Villamor de Órbigo* (*León*) die 8 mensis Septembris anno 1913; prima vota religiosa emisit in *Las Arenas* anno 1931 et anno 1935 ordines minores suscepit.

Servus Dei *Ioannes Petrus Cotillo Fernández,* natus in pago *Siero de la Reina* (*León*), prima vota emisit anno 1931, vota perpetua anno 1935; eodem anno tonsuram clericalem accepit mense Decembri.

Servus Dei *Franciscus Polvorinos Gómez,* natus die 29 mensis Ianuarii anni 1910 in pago *Calaveras de Arriba* (*León*), expletis studiis secundariis in *Urnieta*, primam emisit religiosam professionem in *Las Arenas* die 14 mensis Septembris anno 1932.

Servus Dei *Iustus González Lorente*, natus die 14 mensis Iulii anno 1915 in pago *Villaverde de Arcayos* (*León*), ingressus in minus seminarium in *Urnieta* anno 1927, et primam emisit professionem in *Las Arenas* die 15 mensis Augusti anno 1933; deinceps studiis superioribus in *Pozuelo* incubuit.

Servus Dei *Paschalis Aláez Medina,* natus die 11 mensis Maii anno 1917 in *Villaverde de Arcayos* (*León*), primam professionem emisit in *Las Arenas* anno 1935 et arreptus est vix concluso primo anno in scholasterio.

Servus Dei *Candidus Castán San José,* natus in *Benifayó* (*Valencia*) die 5 mensis Augusti anno 1894, matrimonio iunctus est die 4 mensis Iunii anno 1919. In turbulenta commotione anno 1936, militantes factiones, sub praetextu arma quaerendi, in domum eius irruperunt et die 23 mensis Iulii eum captum duxerunt in Oblatorum conventum, unde die sequenti in necem traditus est.

Servi Dei occisi inter dies 7 et 8 mensis Novembris fuerunt hi duo:

Servus Dei *Joseph Vega Riaño,* natus die 19 mensis Martii anno 1904 in *Siero de la Reina* (*León*), anno 1927 presbyteratum suscepit et munus

theologiam dogmaticam docendi in scholasterio implevit. Occisus est in *Paracuellos de Jarama*.

Servus Dei *Servilianus Riaño Herrero,* natus in *Prioro* (*León*) die 22 mensis Aprilis anno 1916. Prima vota emisit anno 1932. Occisus fuit in pago *Soto de Alcovea* prope Matritum.

Servi Dei interfecti in *Paracuellos de Jarama* die 28 mensis Novembris, praeter *Franciscum Esteban Lacal,* de quo supra mentio facta est, fuerunt hi duodecim:

Servus Dei *Vincentius Blanco Guadilla,* natus in pago *Frómista* (*Palencia*) die 5 mensis Aprilis anno 1882, presbyter factus anno 1906, munus superioris in scholasterio implevit.

Servus Dei *Gregorius Escobar García,* natus die 9 mensis Maii anno 1912 in urbe *Estella* (*Navarra*), ordinem presbyteratus suscepit anno 1936.

Servus Dei *Justus Gil Pardo,* natus die 18 mensis Octobris anno 1920 in pago *Luquin* (*Navarra*), diaconatus ordinem suscepit anno 1936.

Servus Dei *Ioannes Iosephus Caballero Rodríguez,* natus die 5 mensis Martii anno 1912 in *Fuenlabrada de los Montes* (*Badajoz*), anno 1936 subdiaconatus ordinem suscepit.

Servus Dei *Publius Rodríguez Moslares*, natus in *Tiedra* (*Valladolid*) die 12 mensis Novembris anno 1912, oblationem perpetuam emisit anno 1935.

Servus Dei *Iosephus Guerra Andrés,* natus die 13 mensis Novembris anno 1914 in urbe Legionensi, prima vota emisit anno 1932.

Servus Dei *Daniel Gómez Lucas*, natus in *Hacinas* (*Burgos*) die 10 mensis Aprilis anno 1916, primam oblationem fecit anno 1935.

Servus Dei *Iustus Fernández González,* natus die 2 mensis Novembris anno 1916 in pago *Huelde* (*León*), prima vota emisit anno 1935.

Servus Dei *Clemens Rodríguez Tejerina,* natus die 23 mensis Iulii anno 1918 in pago *Santa Olaja de la Varga* (*León*), primam oblationem fecit anno 1935.

Servus Dei *Angelus Franciscus Bocos Hernández,* natus die 27 mensis Ianuarii anno 1883 in *Ruijas* (*Santander*), oblationem perpetuam emisit anno 1907.

Servus Dei *Marcellinus Sánchez Fernández,* natus die 30 mensis Decembris anno 1910 in pago *Santa Marina del Rey* (*León*), oblationem perpetuam emisit anno 1935.

Servus Dei *Eleutherius Prado Villarroel,* natus in *Prioro* (*León*) die 20 mensis Februarii anno 1915, primam oblationem emisit anno 1935.

Omnes hi Servi Dei aestimatione populi gaudebant ob eorum vitam virtutibus evangelicis ornatam, constanter orationis et sacramentorum nutrimento munitam. Post eorum violentam captionem, nemo ex eis ad vitam servandam fidem negavit aut in testimonio exhibendo ancipitem se ostendit.

Propter martyrii famam, instructa fuit Inquisitio dioecesana in Curia archiepiscopali Matriti a die 11 mensis Maii anni 1999 usque ad diem 11 Ianuarii anni 2000; eodem tempore gesta fuit, a die 8 usque ad 12 mensis Novembris 1999, Inquisitio dioecesana Rogatorialis apud Curiam archiepiscopalem Barcinonensem. Ambarum Inquisitionum validitatem iuridicam agnovit Congregatio de Causis Sanctorum Decreto diei 16 mensis Iunii anno 2000. Praeparata *Positione,* iuxta consuetum procedendi modum, discussum est utrum reapse Servi Dei verum martyrium subierint. Die 23 mensis Iunii anno 2010 habitus est, positivo cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 11 mensis Ianuarii anno 2011, audita relatione Ponentis, Exc.mi D.ni Xaverii Echevarría Rodríguez, Episcopi titularis Cilibiensis, confirmaverunt mortem praedictorum Servorum Dei verum martyrium fuisse propter Christi et Ecclesiae amorem.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Francisci Esteban Lacal et XXI Sociorum e Congregatione Missionariorum Oblatorum Beatae Mariae Virginis Immaculatae necnon Candidi Castán San José, Christifidelis laici et Patrisfamilias, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 2 mensis Aprilis A. D. 2011.

ANGELUS Card. AMATO, S.D.B.
*Praefectus*

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

## NYERIENSIS seu TAURINENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Irenae Stefani (in saec.: Aureliae Iacobae Mariae a Mercede), Sororis Professae Instituti Sororum Missionariarum a Consolata (1891-1930)**

## DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Omnibus omnia factus sum, ut aliquos utique facerem salvos. Omnia autem facio propter evangelium » (*1 Cor* 9, 22-23).

Haec Pauli Apostoli verba constituunt « propositum vitae missionariae », veluti necessarium ignem ad apostolatum, prout aiebat Beatus Iosephus Allamano, Conditor Missionariorum et Missionariarum a Consolata. Spiritualis eius filia, Serva Dei Irena Stefani, hoc propositum per vitam aluit ita ut proprietas qua eminuit fieret.

Serva Dei in Brixiensi pago, vulgo *Anfo*, nata est die 22 mensis Augusti anno 1891 ac sequenti die baptizata sub nomine Aureliae Iacobae Mariae a Mercede. Inde a iuventute summum exhibuit christianae et apostolicae vitae studium, quo ducta est ad amplectendum Institutum Sororum Missionariarum a Consolata, ubi Irenae nomen sumpsit. Perpetuam emisit professionem die 29 mensis Ianuarii anno 1924.

Soror Irena fidelem iugiter se praebuit erga illam praeoptatam vitam ac constanter fines vitae consecratae assequi contendit, sanctificationem scilicet et Evangelii nuntium. Sibi praesertim proposuit ad Iesum omnimode perti-

nere necnon cum Iesu et per Iesum vivere: quod in suis propositis repetere non cessavit. Ex hac constanti contentione instans emersit desiderium agendi ut in vita missionaria Dominus agnosceretur. A Superioribus missa est ad Missiones in Kenia, quo die 28 mensis Decembris anno 1914 se contulit, unde numquam in patriam rediit.

Prima saeviente mundiali deflagratione, destinata est uti ministra a Cruce Rubra ut succurreret portatoribus indigenis, vulgo *Carriers Corp*, in nosocomiis militum iacentibus, ad pagum *Voi* in Kenia, ac deinde in Tanzaniam ad loca *Kilwa Kiwinje*, *Lindi*, *Dar-es-Salaam*. Inter desperatas et horrificas condiciones Serva Dei, mira utens dulcedine, specimina dedit intensae caritatis ac deditionis, quibus etiam mitis humilisque risus accedebat. Operam navavit in curandis, purificandis, sanandis, nutriendis tam in corpore quam in spiritu innumeris hominibus flagello bellico sauciatis. Incursibus bellicis expletis, prius regressa est in Keniam, in Vicariatum Apostolicum Nyeriensem, ut nativas candidatas ad vitam consecratam comitaretur; ac deinde in Missionem tunc nascentem loci *Gekondi*, ubi decem annos usque ad mortem commorata est.

Praedita eadem heroica fide necnon ferventi caritate, quibus vitam impendit ad auxilium praestandum in nosocomiis tempore belli, ad docendum munus incubuit, ad vicos invisendos, ad catechesim tradendam, ad epistulare commercium statuendum cum alumnis Seminarii et cum operariis illuc laboris causa migrantibus. In quacumque diurna et nocturna hora accurrebat ad lectum infirmorum et morientium, necnon ad tuguria eorum qui auxilio indigebant. Coram necessitate afflictis resistere non poterat, quoniam quodam spirituali impetu ad subsidium indigentibus ferendum compellebatur. Proximo inserviebat deditione prorsus materna, mansuetudine, veneratione, benignitate, prudentia, fortitudine ac constantia, omnino tamen dempta quacumque culturae religionisque diversitate. Conversatio haec cives Africanos penitus commovit, quocirca ab ipsis vulgari sermone appellata est « Nyaatha », id est, « mater tota facta misericordia, ipsissima misericordia, tenera mater quae omnes optime diligit, secretaria pauperum, angelus caritatis »; et adhuc sic ab omnibus nota est.

Similiter fervens in ea fuit anxietas Christum nuntiandi. Cum aliis colloquens semper methodum reperiebat suavitatis verbum proferendi, ad fidem hortandi et propriam vitam in melius reddendi. Spontanea voluntate de Deo loquebatur, quod ad effectum gaudiosa persuasione perducebat, quemlibet posthabens indifferentiae sensum vel exortas difficultates. Ad cubile infirmo-

rum percurrebat ut illis, simul cum medicinis, hoc maximum donum, nempe baptismum porrigeret.

Hanc mirandam caritatis et nuntii deditionem Serva Dei eucharistico convivio, oratione et virtutum christianarum consiliorumque evangelicorum exercitio iugiter nutriebat, fastigium attingens per omnimodam suiipsius donationem, ita ut a sua Moderatrice consensum obtinuerit propriam vitam pro bono Missionis Domino offerendi. Dum grassabatur pestilentia, non obstante corporis debilitate qua affligi coepta erat, quondam se sistit coram infirmo qui offenderat eam ob conatum occupandi officium eius in schola. Tunc contagione infecta est ac brevi tempore in vitae finem redacta. In lecto mortis iacens persensit illam attigisse aspirationem qua totam per vitam ducta est; en eius extrema verba: «Tota ad Iesum pertineo, sine fine, in aeternum!». Vespere diei 31 mensis Octobris anno 1930, undequadraginta aetatis annos agens, animam exhalavit.

Cives Africani firmiter edixerunt: «Ad mortem ducta est non ob infirmitatem; ducta est ob amorem». Tale exstitit sigillum eius exsistentiae heroica caritate signatae, qua de causa diffusam reliquit famam sanctitatis. De quo eloquens testificatio fuit frequens series fidelium qui exuvias eius venerati sunt atque profusa omnium comploratio: quod, attenta illius populi cultura, nimis mirum visum est, ita ut Moderatrix Missionariarum sequentem nuntium Instituto dederit: «Mulier sancta obiit!».

Vigore huius diffusae famae sanctitatis, duae instructae sunt Inquisitiones dioecesanae, alia in dioecesi Nyeriensi a die 30 mensis Martii anno 1984 ad diem 26 mensis Novembris anno 1986, et alia in archidioecesi Taurinensi a die 19 mensis Octobris anno 1984 ad diem 30 mensis Octobris anno 1988. Quarum iuridicam auctoritatem approbavit Congregatio de Causis Sanctorum Decretum edens die 29 mensis Ianuarii anno 1993. Confecta *Positione*, iuxta suetum procedendi modum, disceptatum est an Serva Dei heroico gradu virtutes exercuerit. Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum die 7 mensis Maii anno 2010 faventem protulit sententiam. Purpurati Patres et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 15 mensis Februarii anno 2011 congregati, audita relatione Ponentis Causae, Exc.mi D.ni Marcelli Semeraro, Episcopi Albanensis, edixerunt Servam Dei theologales, cardinales eisque adnexas virtutes heroice esse exsecutam.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, ipse Beatissimus Pater, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens,

hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine iisque adnexis, in gradu heroico Servae Dei Irenae Stefani (in saec.: Aureliae Iacobae Mariae a Mercede), Sororis Professae Instituti Sororum Missionariarum a Consolata, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 2 mensis Aprilis A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
*Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

## ADRIENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Dolorosae (in saec.: Liberae Italiae Mariae Inglese), Sororis Congregationis Servarum Mariae Reparatricum (1866-1928)**

### DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« O quam bona est Sanctissima Virgo Maria! Ipsa certe bonitate Dei abundat, qui eam elegit ut in nostri exsilii terram immensos divinae misericordiae thesauros effunderet ».

His verbis summae admirationis erga Dei misericordiam et maternam Virginis Sanctae bonitatem, efficaci simplicitate patefacit vita et missio Servae Dei Mariae Dolorosae Inglese.

Serva Dei Rhodigii nata est die 16 mensis Decembris anno 1866. In baptismo ei data sunt nomina Libera Italia Maria, sed iam a puellula solo nomine Mariae vocari voluit. Patavii, quo familia sua commigraverat, pueritiam transegit non sine tristitia et difficultatibus, quae eius delicatum animum percusserunt, praesertim cum pater et soror Clementina e vita

decesserunt. Anno 1882 cum matre Rhodigium reversa, ut et ipsa aliquid rei familiari conferret, vestificinam artem didicit et exercuit. In *Autobiographia* Serva Dei de aliquibus suis somniis narrat, singillatim de illo, quod animum eius valde commovit et vivendi modum mutavit, impellens eam ut se plene committeret Virgini Matri misericordiae: visio nempe mundi, prout tunc videbatur, lacerati et labentis, pacis expertis et bellis commoti. Aetatem agens duodeviginti annorum, ex gravi morbo gutturis convalescens, proposito nubendi et familiam efformandi seposito, sese in favorem aliquot religionis institutionum impendit, utpote Piae Unionis Filiarum Mariae, cui etiam praefuit, et Tertii Ordinis Servorum Mariae, in quo muneribus a secretis et dein Priorissae functa est.

Mense Maio anno 1895 testis fuit motus oculorum in effigie B. Mariae Virginis Perdolentis, quae Rhodigii colitur in ecclesia S. Michaëlis. Illo tempore intente meditans redemptionis mysterium, percepit « marialem reparationem » solidam et convenientem esse rationem Beatissimam Virginem Mariam honorandi. Huiusmodi ergo impulsu spiritus ducta, promotrix facta est Pii Operis Reparationis, variis quoque scriptis typis impressis, quibus praecipua opera pietatis reparatricis divulgavit, sanctam scilicet Communionem, horam precum reparatricum cum integri Rosarii marialis recitatione, et oblationem propriarum actionum.

Serva Dei suo vivendi more omnibus bono fuit exemplo. Conscia semper propriae debilitatis in amore alendo erga Deum et SS. Virginem, necessitatem perspexit continuo progrediendi in conversione vitae necnon subveniendi fragilitati tot fratrum et sororum, qui infinitae misericordiae Dei laudem referre nesciebant vel, ingrati, de ea prorsus non curabant. Vita eius ita facta est servitium simul amoris et reparationis, precibus laudis et intercessionis, ac sollerti et benevolenti navitate consilii et caritatis in pauperiores.

Viva fide dolorem accepit, cuius gratia magis mysterio paschali Christi coniungeretur et fratrum necessitudinibus adesset, qui, veluti crucifixi, aut morbo laborarent, aut aliqua iniustitia vel cupida potestate opprimerentur; ita intimam cum Deo unionem assecuta est et apertum de vi Crucis salutifera reddidit testimonium. Hominum opera et labores intellectu christiano proposuit ut instrumentum ad nobilitandam personam et medium reparationis: modesta vestificina eius facta est schola vitae, locus meditationis et orationis, ubi omnibus patebat industriam laboremque promotioni christianae vitae favere posse.

Post obitum matris, Serva Dei in animo habuit propositum communitatem religiosarum excitandi, quae reparationi incumberent; sed, ex consilio Episcopi loci, colloquium habuit cum Maria Elisa Andreoli, quae Adriae Congregationem Sororum Servarum Mariae fundaverat: haec, animo devicta verbis Servae Dei, eius propositum reparationis assumpsit ut unum ex praecipuis aspectibus devotionis marialis fundationis suae: « servitium et reparatio » inde ab anno 1913 facta sunt notae peculiares Congregationis, in titulo expressae « Servae Mariae Reparatrices ».

Die 29 mensis Decembris anno 1911 Serva Dei, dictam Congregationem ingressa, nomen sumpsit sororis Mariae Dolorosae a Reparatione. Emissa votorum professione, paucis post diebus electa est in Priorissam domus novitiarum Rhodigii et in Moderatricem Operis Reparationis. Dein munere Vicariae Generalis Congregationis functa est usque ad finem vitae. Huiusmodi munere Maria Dolorosa Fundatrici adstitit, eamque adiuvit in excitanda Congregatione, in edendis scriptis, quibus propagaretur cognitio Virginis Mariae et propositi Instituti. Hoc aperte indicant epistulae eius datae ad multas Sorores, plerasque in terra missionis degentes, quarum necessitatibus subveniebat illasque excitabat ut propriam vitam offerrent et opus reparationis diffunderent.

Infirmiore in dies valetudine Maria Dolorosa laborare incepit, adeo ut, contagionis vitandae causa, ab aliis Sororibus fere seiuncta vivere cogeretur. Tali in solitudine ad Domini adventum prorsus sese disposuit et, exemplum Virginis Matris sequens, Deo oblationem propriae vitae renovavit, ut quid de suo conferret redemptioni Christi, « penitus manibus divinae Providentiae commissa, quae omnia videt », certitudine mota « voluntatem Domini exsequi nihil aliud esse quam continuam orationem » et ab omnibus Deo serviendum esse « non sicut nos volumus, sed sicut Ipse vult ».

Die 29 mensis Decembris anno 1928, die sabbati, adstante tota communitate, dum recitabantur Litaniae Lauretanae, in Domino requievit. Notitia illico per urbem diffusa est ex hac vita migrasse sanctam illam sororem « de Via Bagni ». Funera eius peracta sunt in ecclesia cathedrali Rhodigiensi cum ingenti populi concursu et omnium, qui funeribus interfuerant, magna animorum commotione.

Cum Servae Dei fama sanctitatis divulgaretur, in Curia episcopali Adriensi-Rhodigiensi a die 12 mensis Aprilis anno 1956 usque ad diem 2 mensis Februarii anno 1965 actus est Processus Informativus dioecesanus; dein in Urbe celebratus est Processus Apostolicus. Die 21 mensis Decembris

anno 1968 Congregatio de Causis Sanctorum Decretum super scriptis Servae Dei et, die 28 mensis Februarii anno 1987, Decretum super Processuum validitate iuridica publici iuris fecit. *Positione* confecta, secundum praxim quaesitum est utrum Serva Dei virtutes christianas heroico modo exercuisset. Die 2 mensis Februarii anno 2010 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum favorabilem sententiam prompsit. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione ordinaria diei 16 mensis Martii currentis anni 2011, audita relatione Exc.mi D.ni Edmundi Farhat, Archiepiscopi tit. Bybliensis, Causae Ponentis, declaraverunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales et adnexas heroice exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Dolorosae (in saec.: Liberae Italiae Mariae Inglese), Sororis Professae Congregationis Servarum Mariae Reparatricum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 2 mensis Aprilis A. D. 2011.

ANGELUS Card. AMATO, S.D.B.
*Praefectus*

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

# SENOGALLIENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Iosephinae Benvenuti (in saec.: Zeinab Alif), Monialis professae Ordinis S. Clarae (1845/46-1926)**

## DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Diligamus nos invicem: quia caritas ex Deo est. Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum » (*1 Gv* 4, 7).

Serva Dei Maria Iosephina Benvenuti, in saeculo Zeinab, inter annos 1845-1846 nata est quodam in pago regionis dictae *Kordofan* in Sudania, filia cuiusdam Alif, qui illius pagi princeps esse videbatur. Adhuc infans a venaliciis bis rapta est. Alia occasione, octavum fere annum aetatis agens, una cum fratre et sorore, quorum curae cuidam famulae erant demandatae, a nigritarum emptorum et venditorum coetu rapta, in servitute ab iisdem Cairi in Aegypto vendita est.

Servus Dei Nicolaus Olivieri, sacerdos fundator *Operae Redemptionis Puellarum Aethiopum*, anno 1855, apud mercatum servorum septentrionalis Aegypti, liberavit eam eiusque nomen Italico sermone Zenobiae expressit. Una cum suo salvatore et aliis puellis ab eodem sacerdote liberatis in Galliam pervenit ac denique in Italiam, ubi Zenobia die 2 mensis Aprilis anno 1856 recepta est in monasterium monialium Sanctae Clarae iuxta locum *Belvedere Ostrense* in Senogalliensi dioecesi.

A monialibus educata est, iugiter se ostendens puellulam ingenio acutam ac singulariter alacrem. Die 24 mensis Septembris anno 1856 baptisma recepit, Mariae Iosephinae nomen suscipiens, una cum sacra confirmatione et eucharistica communione. Inde, cum a nobili familia Benvenuti sit adoptata, eius assumpsit cognomen. Gratia Dei statim sese manifestavit in actionibus nigellae, vulgo dicta *moretta*, quae sedulitate Regulae observandae commota ac virtutum amore accensa, vitam suam omnino Deo devovere expetivit. Eius fides in dies firmior, vivior, iucundior et efficacior facta est. Serva Dei constantem se gessit in oratione et in sacramentorum participatione. In sacrorum librorum studium incubuit adeo ut summa viveret serenitate et pace secundum consuetudinem, quae propria illi exstitit inter angustiora quoque et acerbiora tempora. Semper parata inveniebatur ad commune officium adimplendum et ad divinam voluntatem exsequendam.

Die 10 mensis Decembris anno 1874 religiosam vestem induit; post biennium vota professa est. Anno 1894 simul cum tota monialium communitate sedem transtulit in monasterium Sanctae Mariae Magdalenae apud locum *Serra de' Conti,* ubi, sequentibus annis, vicaria et magistra noviciarum electa est; haec munera summa cum diligentia, prudentia et humilitate semper gessit, optimum praebens exemplum sapientiae et magnae aptitudinis ad iuvenes instituendas. Anno 1910, omnium consensu, Abbatissa monasterii electa est et in eo munere iterum ad triennium confirmata. Ab anno 1916 usque ad mortem praecipue ianitrix fuit: in hoc officio multos homines feminasque contigit, qui eam laudaverunt et probaverunt propter non communem religiosam virtutem. Oculorum infirmitate affecta, molestas curationes sustinuit sed et in aegritudine serenitatem suam non amisit. In fide et spe Serva Dei praesidium, vim et beatitudinem invenit. Illa ardenter cupiebat participare Christi amicitiam non solum cum omnibus qui monasterium frequentabant, sed etiam cum incolis suae regionis natalis, scilicet Sudaniae. Hoc desiderium in oratione comprehensum et probatum fecit eam animam ad fidem praedicandam admodum aptam, ita ut vocatio monachalis et contemplativa ab ea viveretur in plenitudine oblationis sine limitibus in apostolicis actionibus.

Servae Dei religiositatis pars peculiaris fuit amor erga Eucharistiam necnon singularis Ecclesiae et Summo Pontifici adhaesio. Fidelis discipula Sancti Francisci Assisiensis, ferventer dedita fuit contemplationi Passionis Domini Nostri Iesu Christi, cuius dolores cotidie non sine lacrimis meditabatur. Virgo Maria ei semper consolatio, dux et exemplum exstitit. Maria Iosephina sine intermissione habuit eam veram matrem, quae, secundum ipsius sententiam, a nigritarum emptoribus et venditoribus liberavit eam, ad monasterium conduxit, in vera fide moderata est et ad vitam consecratam bene instituit.

Serva Dei, acceptis sacramentis christianae initiationis, statim percepit Dei magnitudinem, quem tam copiose et plene dilexit ut eius sponsa fieret. Hoc in itinere, annorum progressu et vitae interioris pervestigatione, ad absolutam Deo oblationem et suavem deditionem necnon ad perpetuam cum eo communicationem pervenit. Hac usitata pietate semper ad Dei voluntatem exsequendam est perducta. Erga proximum Serva Dei vitam gessit cum illa caritate, iucunda franciscalium familiaritate exornata. Haec omnia leni ac officioso ministerio usque adimplevit et in constanti animi humilitate pro liberali largitione erga Deum et sorores monasterii.

Serva Dei hac amoris oblatione consumpta, sacramentis refecta, die 24 mensis Aprilis anno 1926, octogesimum aetatis annum agens et septuagesimum fere in monasterio, pie in Domino requievit.

Fama sanctitatis, qua in vita claruit, iuxta Curiam Senogalliensem celebrata est Inquisitio dioecesana a die 25 mensis Martii 1987 ad diem 1 mensis Octobris 1988, cuius iuridica validitas a Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 22 mensis Maii 1992 est approbata. Exarata *Positione*, disceptatum est secundum normas, an Serva Dei heroice virtutes excoluisset. Die 17 mensis Aprilis anno 2010 habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, positivo cum exitu. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die 5 mensis Aprilis 2011 congregati, Ponente Causae Cardinale Paulo Sardi, agnoverunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales eisque adnexas heroicum in modum excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico, Servae Dei Mariae Iosephinae Benvenuti (in saec.: Zeinab Alif), Monialis Professae Ordinis S. Clarae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Iunii A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
*Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

## KATOVICENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Laurae Meozzi, Sororis professae Congregationis Filiarum Mariae Auxiliatricis (1873-1951)**

## DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Anima et corpore cum Iesu cruci affigi, constanter consummari. Ascendere, per viam crucibus stratam semper ascendere; minime se retrahere et in labiis risum praebere... Per amorem et per dolorem se in Iesum transformare ».

Ad hunc sensum, quem ipsa Dei Serva Laura Meozzi significaverat, totam suam vitam intendit: in eo quidem exhibentur et propositum cordis eius versus sanctitatem et intima communicatio profundae fidei, quae eam eius Sponso similem reddidit.

Florentiae die 5 mensis Ianuarii anno 1873 e familia opibus instructa ortum habuit et post tres dies ad baptismalem fontem est translata. Vix decurso tempore eius infantiae in terra natali, anno 1877 administrationis rerum causa, familia Romam se transferre debuit. Hac in urbe Laura scholastica studia frequentavit apud collegium Sororum a Sancta Dorothea, ubi accuratam suae indolis formationem accepit; peculiarem in modum per assiduam eucharisticam communionem et annua exercitia spiritualia iuvenis Laura in se amorem erga Iesum fovebat, desiderium nutriens magis magisque cum Ipso se coniungendi, simulque in misericordiae opera incumbens. Illis annis se a Domino vocari ad vitam consecratam perspicue percepit, ita ut, aliquot superatis familiae difficultatibus, anno 1896 Serva Dei apud Institutum Filiarum Mariae Auxiliatricis iter formationis inceperit.

Religiosis emissis votis, soror Laura assiduum opus docentis implevit, quod maximi aestimatum est praesertim ob singularem sensum maternitatis apud alumnas collegii et iuvenes mulieres plebeias, quae confluebant ad oratoria, laboratoria aliasque formas aggregationis, quas ipsa maximopere proponebat. Thesauros suae prudentiae formativae ac peritiae didacticae reservabat sororibus, docentibus aliisque, quas omnes his verbis saepe hortabatur: « Primum matres estote, deinde docentes ».

Anno 1922 Generale Capitulum Instituti missionarium ambitum dilatare decrevit. Soror Laura, quinquaginta fere annos aetatis, missa est ad regendam primam communitatem in Polonia, nempe ad oppidum *Różanystok*,

ad regionem septentrionalem orientalem nationis. Ibi una cum sororibus in paupere tugurio ligneo hospitium invenit et, accommodatis casulis praeexsistentibus antiqui valetudinarii militaris, exstruendum curavit primum collegium pro pueris qui priore bello mundiali crudeliter vexati erant. Perpensa Episcopi Vilnensis hortatione, anno 1924 illa communitas religiosa curare etiam coepit iuvenes, difficultatibus socialibus ac difficili indole affectas. Annorum decursu varia sunt propagata opera, nempe collegium pro studentibus, scholae diversae, cursus caesionis et confectionis vestium pro adulescentibus, amplum oratorium ad cooperationem paroecialem, denique primus noviciatus in oppido *Różanystok*.

Ardua Servae Dei operositas fide inconcussa in Providentiam firmabatur. Ipsa misericors Cor Iesu ferventi cultu prosequebatur, et ex assidua eucharistica participatione lumen hauriebat et fortitudinem ad cotidianam vitam gerendam. « Iesum tantummodo diligere et quaerere; pro Eo vivere et operari! », ecce eius spirituale propositum; et in hac cum Domino communione vitam egit virtutes et consilia evangelica iugiter excolens. Consorores moderabatur prudentiam exercens et iustitiam; fortiter suaviterque difficultates oppetebat; sincero ac constanti caritatis spiritu, simul cum integritate et comitate, fratribus inserviebat.

Anno 1931 omnes communitates in Polonia exsistentes erectae sunt in Visitatoriam, id est quasi-Provinciam. Interim alterum supervenit bellum mundiale, quod, inter cetera, induxit ad Germanicam ac deinde Sovieticam occupationem religiosarum domuum regionis centralis et meridionalis. Sorores confugere sunt coactae aliae ad nonnullas familias, aliae ad quandam sedem Salesianam, aliae vero sub pyrobolis perierunt vel deportatae sunt aut in Germaniam aut in Siberiam. Soror Laura, in Italiam regredi nolens, manere statuit apud suas filias Polonas, earumque pericula et tribulationes communicare. Bello iam composito, Serva Dei opus incepit varias communitates restaurandi, quadam cum prospera sorte, recipiendo res quae permanserant in domibus olim conditis, et novum movens impulsum ad opus materialis et moralis restitutionis gentium loci. Status tamen eius physicus, canceroso morbo oppressus, qui ob incommoda et labores in deterius ruebat, debilitatis et prostrationis indicia ostendere coepit, quae in dies celeriter ingravescebant, graves ei afferentes dolores. Supremum exsequens actum fidentis deditionis, suam Domino oblationem consummavit, in cuius misericordes manus suum tradidit spiritum noctu diei 30 mensis Augusti anno 1951.

Perpensa eius sanctitatis fama, apud Curiam dioecesanam Katovicensem a die 1 mensis Octobris anno 1986 ad diem 15 mensis Aprilis anno 1989 instructa est Inquisitio dioecesana, cuius iuridicam auctoritatem approbavit Congregatio de Causis Sanctorum Decretum vulgans die 16 mensis Decembris anno 1994. Confecta *Positione*, disceptatum est, ex consueto agendi modo, an Serva Dei heroum in modum christianas exercuisset virtutes. Positivo cum exitu die 25 mensis Septembris anno 2010 actus est Peculiaris Congressus Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Ordinaria Sessione die 12 mensis Aprilis anno 2011 congregati, audita relatione Ponentis Causae, Exc.mi D.ni Raphaelis Martinelli, Episcopi Tusculani, edixerunt Servam Dei heroico in gradu theologales, cardinales iisque adnexas virtutes exsecutam esse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Laurae Meozzi, Sororis Professae Congregationis Filiarum Mariae Auxiliatricis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Iunii A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
*Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

## ROMANA et CUERNAVACENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Agnetis-Teresiae a Sanctissimo Sacramento (in saec.: Emmanuelae a Iesu Arias Espinosa), Fundatricis Congregationum Missionariarum Clarissarum a SS.mo Sacramento et Missionariorum a Christo pro Universa Ecclesia (1904-1981)**

## DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria Agnes Teresia a SS.mo Sacramento, in saeculo Emmanuela a Iesu Arias Espinosa, in oppido *Ixtlán del Rio* in Mexico die 7 mensis Iulii anno 1904 ortum habuit e parentibus christiana fide penitus ditatis. Paulo post viginti aetatis annos, propositum perfecit se Domino in clausura vovendi et anno 1929 Angelopoli in California monasterium Clarissarum ab Ave Maria ingressa est. Sequenti anno primam religiosam professionem et anno 1933 perpetuam votorum professionem emisit. Sedecim annos nata, Venerabilis Serva Dei in silentio claustrali, in oratione, in opere et in sacrificio vitam fideliter gessit, dum suo in corde missionarium desiderium nutriebat. Persentiens a Domino vocari ad altam contemplationem cum missionario apostolatu nectendam, licentiis rite praehabitis, Mater Maria Agnes et quinque consorores Cuernavacam se contulerunt, ut fundamenta iacerent experientiae contemplativae et missionariae, quae procedente tempore appellata est Congregatio Missionariarum Clarissarum a Sanctissimo Sacramento. Venerabilis Serva Dei die 22 mensis Iulii anno 1981 piissime in Domino obdormivit. Die 3 mensis Aprilis anno 2009 Summus Pontifex Benedictus XVI eius heroicas declaravit virtutes.

Eius beatificationi consulens, Postulatio Causae iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum miram submisit coniectam sanationem infantuli Francisci Xaverii Carrillo Guzmán. Etenim die 17 mensis Iunii anno 2001 Guadalaiarae in Mexico, infans, unius anni et trium mensium aetatis, in piscinam cecidit. Condicio valetudinis infantis, cui confestim auxilium datum est, gravissima evenit: spumam enim ore fundebat, animo omnino defecit, vigore orbabatur eiusque totum corpus violaceum videbatur. Avia eius, quae noverat Venerabilem Servam Dei, quam etiam amore ac veneratione prosequebatur, statim ut pergrave cognovit infortunium, Matrem Agnesem invocavit, flagitans eius intercessionem pro nepotuli sanatione; deinde Missiona-

rias Clarissas de re certiores fecit, ut in easdem se sociarent supplicationes ad Matrem Fundatricem effundendas. Parentes quoque infantis, necessarii et amici iisdem interfuerunt precibus. Status aegrotuli sequentibus diebus ita ad desperationem adduci videbatur, ut medici edicerent spem vitae exiguam esse et infantem gravibus pathologiis neurologicis obnoxium fore si a veterno expergisceretur.

Die 23 mensis Iunii Missionariae Clarissae, quae ipso illo die quinquagesimam recolebant anniversariam memoriam a condita Congregatione, de hortatu Moderatricis Generalis, Dominum deprecatae sunt in eucharistica celebratione ut, per Matris Agnetis intercessionem, Franciscum Xaverium sanaret. Imago photographica et particula reliquiarum Venerabilis Servae Dei ad pulvinar infirmi sunt appositae. Sequenti die infans, stupentibus sive medicis sive familiaribus ibi adstantibus, convalescere coepit, stimulis respondere, membra movere et absque auxilio respirare. Ex subsequentibus clinicis et neurologicis inquisitionibus detectum est infantem plenam obtinuisse sanationem et ab omni defectu physico vel neurologico ereptum esse. Adversus omnem praevisionem, infirmitas nullam reliquit notabilem sequelam.

Temporis congruentia evidens exstitit inter supplicationes ad Venerabilem Servam Dei et sanationem Francisci Xaverii Carrillo Guzmán, qui in praesens bona fruitur valetudine et facultate vitam necessitudinis ad normam gerendi.

De hac sanatione, tamquam mira iudicata, apud Curiam archidioecesanam Guadalaiarensem a die 26 mensis Octobris ad diem 4 mensis Novembris anno 2002 instructa est Inquisitio dioecesana, cuius validitatem approbavit haec Congregatio per Decretum die 28 mensis Novembris anno 2003 editum. Medicorum Dicasterii Consilium in Sessione diei 27 mensis Maii anno 2010 agnovit sanationem celerem, perfectam, constantem et sub lumine hodiernae scientiae medicae inexplicabilem fuisse. Die 15 mensis Ianuarii anno 2011 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum et die 21 mensis Iunii eiusdem anni Patres Cardinales et Episcopi in Ordinaria Sessione se congregarunt, Ponente Causae Exc.mo D.no Xaverio Echevarría Rodríguez, Episcopo tit. Cilibiensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua,

vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei Mariae Agnetis Teresiae a Sanctissimo Sacramento (in saec.: Emmanuelae a Iesu Arias Espinosa), Fundatricis Congregationum Missionariarum Clarissarum a SS.mo Sacramento et Missionariorum a Christo pro Universa Ecclesia, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione pueri Francisci Xaverii Carrillo Guzmán, a « grave sindrome asfittica da pre-annegamento in acqua dolce e successivo arresto cardiorespiratorio con danno cerebrale e insufficienza multi-organo ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Iunii A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
*Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

## CAMPANIENSIS seu NEAPOLITANA

**Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Mariani Arciero, Sacerdotis dioecesani (1707-1788)**

### DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Dei Servus Marianus Arciero natus est Contursi apud Salernum, olim in Compsana dioecesi, die 26 mensis Februarii anno 1707. Die 22 mensis Decembris anno 1731 consecratus est presbyter. Postea se contulit in Cassanensem dioecesim, ubi mansit viginti annos, et pastorale ministerium egit, dum transiebat ex oppido ad oppidum uti missionarius et evangelicus peregrinus; multa templa aedificavit et restituit et disciplinam dignitatemque cleri instauravit. Iure ipse etiam « Brutii Apostolus » vocatus est. Anno 1751 Neapolim rediit. Patris spiritualis in dioecesano Seminario et

gubernationis Congregationis Assumptae dicatae officium exercuit. Inter discipulos eius etiam recensetur Beatus Vincentius Romano. Magna cum diligentia apostolatum suum persecutus est; cathechismum composuit perdivulgatum; validus consiliarius et confessarius reputatus est. Spiritum exhalavit, uti praedixerat, die 16 mensis Februarii anno 1788, unum et octoginta annos agens aetatis. Venerabilis Servi Dei decretum super virtutibus promulgatum est die 14 mensis Augusti anno 1854 a Summo Pontifice Pio IX.

Ad Beatificationem quod attinet, Postulatio Causae examini huius Congregationis de Causis Sanctorum praesumptam subiecit miram dominae Conceptae Siani sanationem, Contursi eventam anno 1951, a peritonitide tuberculari. Decem ante annos, mulier, quae illo tempore duodequadraginta annos aetatis habebat, aliquot dolores animadvetere inceperat in abdomine una cum taedio, cibi fastidio, nausea, interdum vomitione, levi febri vespertina. Post non multos dies, hae valetudinis perturbationes creverunt. Cum Concepta manifestam tabem atque conspicuum abdominis magnitudinis incrementum vidisset, graviter anxia ad medicorum curas occurrit. Tunc curationes impositae sunt infirmae, scilicet calcii iniectiones, quae tamen nihil profuerunt illi, quoniam medicus saepe aliquid liquidi e peritoneo extrahere potuit.

Die 15 mensis Octobris anno 1950, exuviae Venerabilis Mariani Arciero ab urbe Neapoli translatae sunt Contursim et, illa data occasione, imagunculae Servi Dei editae sunt et omnibus praesentibus distributae. His in adiunctis, infirma imagunculam supra abdomen collocavit et statim melius se habere coepit. Concepta insequentibus diebus Dominum semper rogavit ut per Servi Dei Mariani Arciero intercessionem sanaretur. Vespere autem diei 26 mensis Ianuarii anno 1951, adeo gravissimos dolores sensit, ut et ipsa et familiares mortem imminentem esse putarent. Tunc accepit potionem chamaemeli et paulo post obdormivit. Hora fere secunda ante matutinum diei 27 aegrota e somno se excitavit, toto suo corpore sudore madido, ac repente se valere percepit. Soror et frater eius, qui cum ea morabantur, recognoverunt etiam ingentem abdominis tumorem dilapsum esse. Sequenti mane, Concepta sine difficultate pedibus suis ad medicum se contulit, qui eam inspiceret. Ipse medicus obstupescens dixit nullam ex legibus scientiae medicae dari posse explicationem de hac repentina infirmae sanatione.

De hoc eventu, intercessioni Venerabilis Servi Dei Mariani Arciero statim adscripto, apud Campaniensem Curiam actus est Processus Apostolicus a die 11 mensis Februarii anno 1953 usque ad diem 17 mensis Novembris anno

1954, cuius iuridicam auctoritatem hoc Dicasterium agnovit per Decretum die 31 mensis Martii anno 2008. Medicorum Consilium, in sessione diei 4 mensis Martii anno 2010, sanationem recognovit celerem, perfectam et inexplicabilem ex hodierna scientia medica. Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus die 19 mensis Novembris anno 2010 habitus est, positivo cum exitu. Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum acta est die 5 mensis Aprilis anno 2011, Causae Ponente Excellentissimo Domino Laurentio Chiarinelli, Episcopo emerito Viterbiensi. Et in utroque coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum, est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servi Dei Mariani Arciero, Sacerdotis dioecesani, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione dominae Conceptae Siani a « peritonite tubercolare post-primaria ad evoluzione fibro-nodulare, con andamento cronico ingravescente e gravissima compromissione dello stato generale della paziente »*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Iunii A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
*Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

## TRANENSIS - BAROLENSIS - VIGILIENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Raphaelis Dimiccoli, Sacerdotis dioecesani (1887-1956)**

## DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« O Iesu, mi dilecte, Totus meus, gaudium meum! Diligo Te, admodum Te diligo, Te iugiter diligere cupio. Mundus non amplius ad me pertineat. Meis in votis est ut omnes animae, omnes mihi concreditae non tantum serventur, verum etiam in Caelum ascendant ut summo sublimique modo Te glorificent ».

De quadam agitur ferventi deprecatione, deprompta ex textu cui titulus *Supplica*, quem Servus Dei Raphael Dimiccoli ad pedes Eucharistiae feria V Hebdomadae Sanctae quotannis deponebat: in ea lineamenta exhibentur quae exsistentiam promoverunt et opus apostolicum huius presbyteri ad maiorem Dei gloriam animarumque salutem prorsus dediti.

Servus Dei die 12 mensis Octobris anno 1887 Baroli natus est ex familia ruricola, opibus bene instructa ac christiana fide suffulta. Ad baptismalem fontem ductus nomen assumpsit Angeli Raphaelis, et ad christianam vitae visionem formatus est necnon ad profundum orationis spiritum. Inde ab infantia vocationis ad sacerdotium indicia persensit, idcirco diversa frequentavit religiosa Instituta, qualia sunt Schola Apostolica Sacerdotum Missionis in loco *Ceccano* provinciae Frusinonis, Collegium Gregorianum in Urbe, Seminarium dioecesanum Vigiliense provinciae Bariensis, Collegium "Argentum" ex Societate Iesu in urbe Lycia. Viam persequens formationis pietate usque eminuit et progressu scholastico, quapropter sibi fiduciam comparavit superiorum et affectum amicorum. Sacro presbyteratus ordine auctus est die 30 mensis Iulii anno 1911.

Prima pastoralis statio Baroli fuit apud paroeciam terrae natalis « sancti Iacobi Maioris », ubi munus implevit viceparochi ac simul rectoris Oratorii Sancti Philippi Nerii. Ipsis annis primum mundiale bellum exarsit. Quae omnia acerba cum essent, Servus Dei admodum se praebuit sollicitum de orphanis et viduis sublevandis; condidit insuper « Domum Militis » pro militibus Baroli degentibus necnon pro sacrorum alumnis ad militiae munus coactis. Bello confecto, summum contagii periculum posthabens, heroicum

in modum se gessit ad reficiendos et iuvandos omnes qui febri sic dicta « hispanica » erant correpti.

Interim diligenti cura comitari pergebat adulescentes et iuvenes Oratorii, quorum numerus magis in dies augebat, ita ut conclavia paroeciae insufficientia fierent. Quae quamvis ita essent, Servus Dei animo se non demisit, sed opportunum repperit tempus innovandi munus apostolicum. Itaque alienans patrimonium familiare, acquisivit quoddam expristinum cum eius vicinis spatiis, in paupere et corrupta regione situm, ibique aperuit « Novum Oratorium Sancti Philippi Nerii ad infantiam derelictam redimendam ». Dum in contextu illo morali et materiali miseria affecto versaretur, Servus Dei omnibus omnia factus est, immo rebus sibi necessariis se privavit, ut oppeteret exigentias familiarum ac praesertim puerorum, pro quibus promovit quoque scholam infantiae et centrum post-scholam; ac praeterea pro puellis adulescentibus instituit laboratorium consuturae et operis plumarii, novum illis afferens prospectum in futurum. Recuperavit adultos a plaga analphabetismi, nec infirmos et senes suo privavit auxilio; exsules quoque ac tsigani illius subsidiis frui potuerunt. Perpenso hoc extraordinario caritatis miraculo, ii quoque qui avversabantur ei, sententiam mutaverunt voluntati eius sese subicientes.

Primarius finis Operis Servi Dei Raphaelis idem semper exstitit, nempe ad Deum omnes perducendi. Missae Sacrificium et protracta eucharistica adoratio fastigium constituerunt et fontem cuiusque diei, quibus additur filialis cultus ad Beatissimam Virginem Mariam. Indefessum se praebuit in praedicatione et actione catechetica, quas extendere potuit ad omnem aetatem et ad personas cuiusque ordinis socialis, quos in sede quoque laboris adibat. In omnium manibus deposuit Sanctum Evangelium. Confessionale privilegiata sedes fuit ad regenerationem afferendam animasque moderandas. Fulgens praecipue eius vitae testimonium mutatum est in invitamentum vocationale, adeo ut, praeter complures laicos propriis officiis iam intentos, hac in schola innumeri formarentur candidati ad sacerdotium et ad vitam consecratam. Servus Dei excogitavit missionem suam veluti propagationem missionis Christi, Summi et Aeterni Sacerdotis, quam, servitii omnimodaeque deditionis spiritu ductus, suo in contextu manifestam reddidit illam.

Insuper saeviente altero mundiali bello, ille prima in acie caritatis et assistentiae opera praestitit. Anno 1948 nominatus est Vicarius archidioecesis "nazarenae" Barolensis: hoc novum munus exsequens suam indefessam deditionem in amplius territorium profundere potuit. Extremum experiens conatum oeconomicum, condidit «Vicum Pueri», ut orphanis et pueris indigentioribus subveniret.

Interea, eius vegetum et eminens corpus prodere coeperat condicionem eius verae valetudinis. Anno 1954 increbruerunt huiusmodi incommoda, quorum causa e domo non amplius egredi potuit. Exsistentia eius facta est oratio et munda oblatio Deo placita. Ita Dominus invenit eum illo instanti quo ad Se vocavit, die nempe 5 mensis Aprilis anno 1956. Fama sanctitatis qua vivens fruebatur perpensa, die eius exsequiarum, legitimae auctoritates exceperunt petitionem unanimiter a civibus Barolensibus admotam, nempe ut Servo Dei privilegiata tribueretur tumulatio apud ecclesiam Novi Oratorii Sancti Philippi Nerii.

Vigore huius famae, die 1 mensis Maii anno 1996 incohata est Inquisitio dioecesana de Causa Beatificationis et Canonizationis, quae expleta est die 25 mensis Maii anno 1997, cuius iuridicam validitatem agnovit Congregatio de Causis Sanctorum Decretum edens die 23 mensis Ianuarii anno 1998. Apparata *Positione,* disceptatum est, ut de more, an Servus Dei virtutes heroico in gradu exercuisset. Die 12 mensis Novembris anno 2010 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, quorum favens sententia confirmata est a Patribus Cardinalibus et Episcopis die 17 mensis Maii anno 2011 in Sessione Ordinaria congregatis, qui, audita relatione Ponentis Causae, Exc.mi D.ni Antonii Stankiewicz, Episcopi tit. Novapetrensis, edixerunt Servum Dei theologales, cardinales eisque adnexas virtutes heroum in modum esse exsecutum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Raphaelis Dimiccoli, Sacerdotis dioecesani, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Iunii A. D. 2011.

ANGELUS Card. AMATO, S.D.B.
*Praefectus*

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

# CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

## PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Benedictus Pp. XVI, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

*die 17 Maii 2012.* — Titulari episcopali Ecclesiae Cursolensi, R. D.Vincentium Dollmann, e clero archidioecesis Argentoratensis, hactenus Congregationis de Institutione Catholica, de Seminariis atque Stodiorum Institutis Officialem, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Argentoratensis.

*die 9 Iunii.* — Titulari episcopali Ecclesiae Bisuldinensi, R. D. Ioannem Antonium Aznárez Cobo, archidioecesis Pampilonensis Vicarium Generalem, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

*die 6 Iulii.* — Titulari episcopali Ecclesiae Mentesanae, R. D. Iosephum Rico Pavés, Commissionis Doctrinae Fidei Conferentiae Episcopalis Hispanicae Secretariae Moderatorem, quem constituit Auxiliarem dioecesis Xetafensis.

*die 11 Iulii.* — Metropolitanae Ecclesiae Lodziensi, Exc.mum P. D. Marcum Jędraszewski, hactenus Episcopum titularem Foropopuliensem et Auxiliarem Posnaniensem.

— Metropolitanae Ecclesiae Passofundensis, Exc.mum P. D. Antonium Carolum Altieri, S.D.B., hactenus Episcopum Caraguatatubensem.

— Cathedrali Ecclesiae Portus magni, R. D. Philippum Antonium Egan, e clero dioecesis Salopiensis, hactenus ibique Vicarium Generalem.

*die 14 Iulii.* — Titulari episcopali Ecclesiae Caltadriensi, R. D. Gregorium Bittman, e clero Edmontonensi, ibique Vicarium Iudicialem et Cancellarium, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

*die 17 Iulii.* — Cathedrali Ecclesiae Ecatepecensi, R. D. Ansgarium Robertum Domínguez Couttolenc, M.G., hactenus Episcopum Tlapensem.

*die 21 Iulii 2012.* — Cathedrali Ecclesiae Calissiensi, Exc.mum P. D. Eduardum Janiak, hactenus Episcopum titularem Scilitanum et Auxiliarem Vratislaviensem.

*die 24 Iulii.* — Metropolitanae Ecclesiae Glasguensi, Exc.mum P. D. Philippum Tartaglia, hactenus Episcopum Pasletanum.

*die 27 Iulii.* — Cathedrali Ecclesiae Oriolensi-Lucentinae, Exc.mum P. D. Iesum Murgui Soriano, hactenus Episcopum Maioricensem.

— Metropolitanae Ecclesiae Sancti Francisci in California, Exc.mum P. D. Salvatorem Iosephum Cordileone, hactenus Episcopum dioecesis Quercopolitanae.

*die 28 Iulii.* — Cathedrali Ecclesiae Eporediensi, Exc.mum P. D. Eduardum Aldonem Cerrato, C.O., hactenus Confoederationis Oratorii S. Philippi Nerii Procuratorem Generalem et Sanctae Mariae in Vallicella Praepositum.

